

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Philo pro Iudaeis, ad Caïum legationem obierit. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII HISTORIAE

*A.B. II.* fionem, perq; Petri ministeriū primus esset fidem in Chri-  
stum amplexatus, & complures alij Græci Antiochiae,  
quibus discipuli, dum Stephanum Iudæi persequebatur,  
varijs locis dispersi prædicassent & ecclesia Antiochiae  
modo floreret, atque indies magis magisque cresceret, &  
permulti prophetæ ab Hierosolymis profecti, illic eodem  
tempore versarentur, & Barnabas ac Paulus vna cum  
illis viuerent, aliaque fratrum turba istis adiungeretur:  
Christianorum appellatio in ea vrbe tum primum velut  
**ex florido & fertili solo exorta est.** Agabus etiam unus è  
prophetis, qui cum illis vixerunt, de fame quæ erat uni-  
uersum orbem terrarum occupatura, id temporis vaticinatur.  
Vnde item Paulus & Barnabas Hierosolymam usque allegati erant fratrum ministerio inferuiti.

*Quomodo post Tiberium, Caius Herodem perpetuo mul-  
titans exilio, Agrippam Iudeorum regem cre-  
auerat. Cap. IIII.*

**T**iberius cum circiter duos & viginti annos imperiū Romanum gubernasset, abiit è vita. Huic in imperium succedens Caius confestim Iudææ præfecturæ honorem Agrippæ detulit, illumque tetrarchijs, quibus Philippus, & Lyfianas potiti fuerant, præfecit. Ad quas quidem non longo tempore post adiecit etiam Herodis tetrarchiam: Herodem (eum dico qui seruatoris passioni unā cum vxore Herodiade interfuit) & quem Caius ob varia & multiplicita crimina, quæ in vita admisisset, graui multa & suppicio afficiens, perpetuo tandem addixit exilio. Atque istarum rerum Iosepho teste utaris licet.

*Quomodo Philo pro Iudeis, ad Caium legationem  
obierit. C A P. V.*

**H**Vius porro imperatoris temporibus Philo magna famæ celebritate apud plurimos fuit: Vir sane, qui non nostrorum hominum solum, sed etiam Gentilium qui humanitatis ac politioris literaturæ elegantia excellebant, facile principem locum obtinuit. Genus au-

rem

tem antiquitus ex Hebræorum stirpe duxit, atque illis vi  
ris, qui Alexandrię in summis honorum gradibus locati,  
magnum splendorem acquisuerint, nulla ex parte infe-  
rior putabatur. In diuinis præterea & patrias disciplinas,  
quantum & quām magnum laborem contulerit, apud o-  
mnes re ipsa liquido constat. Quinetiam in studijs philo-  
sophiæ, liberaliumq; artium cognitio, qualis & quām ex-  
cellens fuerit, non necesse habeo dicere: præsertim cum  
Platonicae & Pythagoricae discipline formam ardentio-  
re studio imitatus, omnibus suæ memoriae & ætatis viris  
antecelluisse prædicetur. Adde huc quod calamitates,  
quæ Caio regnante, erant forte fortuna inuectæ, iste Phi-  
lo in quinq; libros colligauit. In quibus etiam insanam  
mentis Caij temeritatem (qui se ipsum tanquam Deum  
prædicauit, qui que dum regnabat infinitas iniurias & in  
commoda suis intulit) Miseras porro Iudæorū, quæ sub  
istius imperio eis obuenissent, exposuit: & quo pacto ille  
ipse ad urbem Romam missus, pro gente sua, quæ Alexan-  
driæ habitabat legationē obierit: & qua ratione cum co-  
ram Caio confisteret, pro patriis legibus dicturus: nihil  
aliud præter risum, & salfa dictoria reportarit, parumque  
absuerit, quin in graue viræ suæ periculum & discrimen  
incurrisset. Harū rerū etiā meminit Iosephus in decimo  
octavo antiquitatis libro, atque ista, quæ sequuntur ad  
verbū perscribit. Cum sedicio Alexandriæ à Iudæis &  
„ Græcis, qui illam incolebant concitata esset, tres ex vtra  
„ que factione legati deligebantur, qui ad Caium profici-  
„ sicerentur, Vnus ex legatis Alexandrinis pro græcis erat  
„ Apion, qui multa conuictia in Iudæos intorquebat, cum  
„ alia illis obiectando, tum hoc in primis, quod Cæsaris ho-  
„ nores penitus contemnerent. Nam omnes, qui Romano-  
„ rum imperio vestigalia pensant, altaria Caio, & templa  
„ dicare, inque alijs rebus denique illum, non aliter at-  
„ que deos suos, cultu & honore excipere obseruareque  
„ memorat: illos autem solum eum ignobilem & indig-  
„ num ducere, quem vel statuarum decorarent insignibus,  
„ vel nomen illius iurisurandi loco usurparent.  
„ Vbi Apion multa & grauia dixisset, quibus Caium in-  
„ solenter se efferre, & speraret, & esset verisimile,

Philo

## EVSEBII HISTORIAE

Philo qui Iudeorum legationi præfuit, frater Alexandri „  
Alabarchi vir cum omnibus in rebus clarus tum Philoſo- „  
phiæ non expers, paratus quidem erat ad ea, quæ Iudeis „  
fuere obiecta diluenda, verum illum iam dicturum inter- „  
pellavit Caius, precipiens ut ab eius conspectu procul ab „  
ſcederet. Nam nimio iracundiæ æstu inflammatuſ videba „  
tur plane illos ipſos Iudeos graui aliqua calamitate affe- „  
eturus. Philo igitur contumelia & conuictijs appetitus, è „  
concilio egreditur, atque Iudeos qui illum comitaban- „  
tur iubet bono animo eſſe: Caium tametsi verbo quidem „  
illis succenſebat, re tamen ipſa perfecifſe ut Deus ipſis „  
contra eius conatus præſto eſſet ad opitulandum. Hæc „  
Iosephus. Idem porro Philo in eo libello quem de virtu- „  
tibus & legatione ad Caium conscripſit, ea quæ per idem „  
tempus à Caio gerebantur, singula accurate exponit. Ex „  
quibus plurima silentio præteriens, ea ſola in mediū pro- „  
feram, quæ noſtra ſcripta legentibus perspicuè declarant „  
eas res quæ Iudeis, neque id adeo longo tēpore poſt, pro- „  
pter nefanda facinora in Christum admissa, obuenerunt. „  
Primum igitur dum Tiberius fasces imperij tenebat, in „  
vrbe Roma Seianum quendam (qui & authoritate & gra- „  
tia multum apud Imperatorem valebat) toto pectore, ut „  
dicitur incubuiſſe narrat, quo vniuersam gentem Iudei- „  
cam prorsus è medio tolleret. Pilatum etiam (cuius tem- „  
poribus Iudei tantam audaciam & crudelitatem in necem „  
ſeruatoris exercuiffent) in Iudea templum, quod tū sta- „  
bat Hierosolymis integrum & inuiolatum, nouo ſcelere „  
quodam, quod nefas apud Iudeos erat, polluere aggredi- „  
entem illos maximè grauissimeq; conturbasse.

*Quot mala Iudeis poſt impium in Christum facinus  
obuenerint. CAPVT VI.*

**V**bi Tiberius è vita migrauit, Caius capeffit imperiū „  
qui cum multos alios multis & infinitis iniurijs leſit „  
tum maximè omnium vniuersam Iudeorum gētem „  
non exiguis affecit incommodis. Quæ quidem ex voci- „  
bus ipſius Philonis ſtrictum & breuiter, vbi iſta ad verbū „  
ſcribit, licet cognoscere. Caius quidem moribus fuit „  
peracerbis, & crudelibus, cum erga omnes, tum præcipue „  
erga